

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Antistitum, Dn. D. Jacobi Herbrandi, Schnepffii, Osiandri, Bidenbachii, Hen-  
 nenbergensium item duorum, Marchionici Ruperti Dürr, & inter hos Docto-  
 ris Jacobi Andreae. Nam cum Phortzemii D. Rupertum & Studgardiae Osi-  
 andrum & Bidenbachium, quos quærebam, non invenissem, & stupere attro-  
 nitus, intellexi Mulbrunni collectos esse hos, quos dixi, omnes, & eo ut me  
 conferrem, hortaretur ejus loci minister, vir optimus, sequutus consilium, illuc  
 profectus sum & amanter exceptus, aded ut etiam vellent me collationis,  
 quam exercebant, esse participem. Habebant in manu capita conscriptæ in  
 Saxonia formæ Doctrinæ à Chytræo, Chemnitio, D. Jacobo Andreae, aliisque  
 Theologis quæ examinabantur: ea quæ mihi quidem visa sunt solida & pia,  
 ut sperem apud pios & cordatos approbationem habitura. Reperi autem lon-  
 gè secus habere omnia apud Electorem Saxonem & Doctorem Andreae, quam  
 malignorum fama spargat, & res ipsa ostendet confusionem eorum, quibus bo-  
 nis obtestare voluptas est. Consolatio item solida ex Christi verbo rectè pe-  
 titur iis, qui maledictionem sustinent à mentientibus. Pro tuis singularibus be-  
 neficiis gratias ago maximas cum tibi, tum uxori honestissimæ, collegio item  
 Thomiano, quos omnes meis verbis salvos jubeas: amanter ac reverenter. Scri-  
 psi Basileæ 23. Septembris, qua die ingredior ætatis meæ annum 69. Anno  
 Christi salutis, 76.

Salvum te jubent mei Symmistæ.

*Tuus ex animo*

S. Sulcerus.



CCXIII.

(Frasmo Marbachio.)

*S. in Christo Jesu salvatore nostro. Reverende & cla-  
 rissime Dn. Licentiate, amice charissime.*

**A**nte annum tibi Christianum Frisium, nobilem Danum, unâ cum præceptore,  
 M. Gerardo Schlaphio, commendavi. Hi qua humanitate à te excepti fuis-  
 sent, literis suis ad me datis, mirifice prædicarunt. Etsi verò cum hinc discederent,  
 in Academia vestra aliquandiu se mansuros decreverant, tamen aliæ inciderunt cau-  
 sæ, cur id consilium mutarent, & Tubingam se conferrent. Tubingæ in proximis  
 canticularibus discesserunt, & adita Noriberga, alijsq; præceptis superioris Germaniæ  
 arribus, Basileæ tandem substituerunt, ubi comites aliquot, cum quibus in Italiam per-

Yyy 3

Insu-



Insubriam irent, repperunt. & circa Calendas Octobris iter ingredi constituerunt. Ita enim ad me Basilea scripserunt.

Quia autem nullas postea literas accepi, quibus certior redditus sim, an institutum iter susceperint, nec ne, cum propter pestem in aliquibus Italiae locis grassantem dubitare aliquo modo visi sint, amanter à te peto, ut si quem habes Basileae inter professores familiarem, ad quem scribendi occasio erit, apud eum inquiras, an ipsi de comitatu aliquot juvenum, qui circa id tempus in Italiam profecti sint, quicquam constet. Decem, ut ad me Christianus scripsit, una fuerunt maxima ex parte nobiles, & inter hos unus princeps Luneburgensis, cujus frater Wilhelmus in hac Academia jam per biennium ferè literis operam dedit.

Si quid porro certi cognoveris, id ad me perscribas, rogo. Literas vel Spiram ad D. Bartolomeum Kùhorn, Senatus Rostochiensis procuratorem, vel Francofurtum ad futuras nundinas vernas mittas, ut per Lubecenses mercatores huc perferantur. Gratissimum mihi in hac re officium facies. Quia enim à puero Christianum apud me educavi, paterno ipsum amore complector, & sollicitus sum de studiis, fortuna ac salute ipsius. Et familiares ac cognati ipsius, viri nobilitate & dignitate in regno Danico excellentes, à me de rebus ejus certiores fieri cupiunt. Veniam itaq; mihi dabis, quod hanc molestiam tibi imponam, quæ omnia officio tibi grato vicissim quacunque data occasione compensabo.

Adolescens hic, qui literas hæc tibi adfert, Paulus Noviomagus, filius est viri quondam præstantissimi M. Pauli Noviomagi, concionatoris aulici, sanctissimi & celeberrimi Regis Daniae, Christiani tertii, p. m. Is cum in schola Illustri Misena sub viro doctissimo Georgio Fabricio institutus per septennium, & postea annis aliquot in Academia Wittebergensi eruditus, præclaros in studiis progressus fecerit, nunc voluntate Sereniss. Regis Daniae, Friderici, in vestram se confert Academiam, ut istic feliciter inchoata studia continuat. Patri hujus juvenis ego in aula Danica agens, familiarissimus fui. Ideo filium & propter parentem & propter ingenium atq; indolem præclaram diligo, ac tibi eum, quantum possum, commendo, orans, ut rebus & studiis ipsius, ubicunque opus fuerit, consilium & operam tuam non recuses. De hujus Academiae statu, & de tristi Ecclesiae nostrae turbatione, à duobus pastoribus ad S. Petrum & S. Nicolaum excitata, per portentosum, de peccato originis substantiarum, dogma, & quo pacto illi hac septimana eam ob causam ab officio suo remoti sint, ex hoc Paulo plenius cognosces, & simul de rebus aliis, quæ hæc & vicinis in locis aguntur. Bene & feliciter vale ac parentem, virum optimum, optimèq; de Ecclesia DEI meritum, ex me reverentè saluta. Rostochii, die Thomae Apostoli, Ao. 1576.

Lucas Bacmeisterus,

CCXIV.